

- † Ego Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis S. Clementis Albanus S. R. Eccl. C. merorius.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Pius de Miranda.
- † Ego Joannes Antonius Tituli S. Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
- † Ego Antonius Felix Tituli Sancte Balbina Presbyter Cardinalis Zondadarius.
- † Ego Petrus Marcellinus Tituli S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
- † Ego Curtius Tituli S. Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
- † Ego Melchior Tituli Sancte Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignae.
- † Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Spinola.
- † Ego Georgius Tituli S. Agnetis Presbyter Cardinalis Spinola.
- † Ego Cornelius Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Benivulius de Aragonia.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancte Prisca Presbyter Cardinalis Belluga, & Moncada.
- † Ego Joseph Tituli S. Susanna Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
- † Ego Alvarus Tituli S. Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
- † Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus Major Penitentiaris.
- † Ego Joannes Baptista Tituli S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteris.
- † Ego Vincentius Tituli S. Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
- † Ego Prosper Tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marisficus.
- † Ego Frater Augustinus Tituli S. Xisti Presbyter Cardinalis Pipia.
- † Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
- † Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.
- † Ego Benedictus S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
- † Ego Laurentius S. Agathe ad Montes Diaconus Cardinalis de Altissimi.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columa.

† Ego Julius Tituli S. Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.

† Ego Alexander S. Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

† Ego Nicolaus Sancte Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Card. Prodaturius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emiffenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Anciranus.

L. Martinettus

Registrata in Secretaria Brevium.

CLVI.

Decernitur ut quidam fundus, seu cumulus in situatur pro agenda Beatificatione, seu Canonizatione eorum, qui in Ordine Servorum B. M. V. cum sanctitatis fama obierunt.

Dat. 17. Dec. 1726. An. 3.

Alia hujus Const. ed. 1724. Jun. 4. P. 1. promulgata fuit Canonizatio B. Philippi Benitii dicti Ordinis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Postolatus cura, quam Divinae Sapientiae, atque bonitatis Altitudo humilitati Nostrae meritis licet, & viribus longe impari, imponere dignata est, Nos urget, ut piis fidelium quorumcumque praesertim sub suavi Religionis jugo Domino assidue famulantium votis ad promovendam in terris Christi Servorum, & Ancillarum cum eo in beata aeternitate regnantium venerationem tendentibus, favorabilem assensum paterno affectu praebamus.

Procedimus a cura Sanctorum venerationis promovenda.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Petrus Mariae Pieri Prior, ac Josephus Mariae Procurator Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis Nobis nuper exponi fecerunt, idem inclutus Ordo plurimos pietate, virtutibus, atque vitae sanctimoniam eximios filios tanquam vitis abundans in Agro Dominico omni fore tempore protulerit, quorum memoria in tenebris, ac oblivione hominum delitescit, eo quod nulli redditus ad eorum causas coram Congregatione Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E.

Facti expositio.

S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praeposita, ut moris est, agendas, seu illorum inter Beatos, aut Sanctos relationem procurandam suppetunt, destinative reperiantur.

Proponitur a Priore, & Procuratore Generali dicti Ordinis ex quibus pecuniis possit institui praedictus fundus.

§.2. Ipsi Exponentes praecipua sui Ordinis luminaria, quae super candelabrum posita omnibus, qui in Domo Dei sunt, praecluerent, ita in abscondito, & sub modio jacere agre ferentes, animum adjecerunt, ut quamdam rationem inirent, qua absque gravi ejusdem Ordinis incommodo pecuniae in hanc adeo piam causam comparari, & congeri possent; cumque re universa accurate perpensa cognovissent usum olim in dicto Ordine invaluisse ante duodecim circiter annos a Congregatione tunc existentium dictae S. R. E. Cardinalium, & Romanae Curiae Prelatorum super disciplina Regulari specialiter deputata sublatum, quod Secretariis Prioris, five Vicarii generalis pro tempore existentis ipsius Ordinis scutum unum Monetae Romanae pro certis patentibus literis, quae illius fratribus expediebantur, exsolveretur, unde trecentorum, vel quadringentorum scutorum paris monetae summa, quae in privatam Prioris, seu Vicarii Generalis, ejusve Secretariorum praedictorum utilitatem tunc cedebat, quotannis retrahebatur, exponentes praedicti usum hujusmodi retineri, seu instaurari, ac ex pecuniis inde proventuris quemdam cumulum, seu fundum, ac multiplicum, sumptibus eorum, qui in Ordine praefato cum Sanctitatis fama floruerunt, ac decesserunt causis instruendis, & agitandis, seu Beatificationi, ac Canonizationi procurandae, & faciendae necessariis deputandum, institui summo opere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces eorum dem.

Instituitur praefatus fundus.

§.3. Nos igitur ipsorum Exponentium propositum hac in re quantum cum Domino possumus juvare cupientes, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod memoratus usus solvendi, ac exigendi respective scutum monetae praefatae pro dictis Patentibus Literis, qui in eodem Ordine ante paucos annos vigeat, sicut praemittitur, deinceps retineatur, ac servetur, five de novo inducatur, nec ipse patentes Literae antea relaterentur quam solutio realiter, & cum effectu facta fuerit, pecunia vero inde proventura a supra praedictis Exponentibus, ac pro tempore existentibus Priore, & Procuratore Generalibus ejusdem Ordinis fideliter custodiantur, atque de Semestri in Semestre penes Montem Pietatis de Alma Urbe Nostra deponantur, & in tot locis Montium Camerae Nostrae Apostolicae non vacabilium investiantur, ex quorum fructibus cumulus, seu multiplicum, ac fundus sumptibus necessariis pro causis, seu Beatificatione, vel solemnibus Canonizatione dicti Ordinis Alumnorum, seu Religiosorum, qui pie, ac cum Sanctitatis fama obierunt peragendis, & non in

aliam quamcumque causam destinandus, ac deputandus instituat, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, praecipimus, & mandamus.

Nullae Ordinationes hae super re.

§.4. Ubi autem aliquot expensas in opus hujusmodi facere necesse fuerit, tunc Priori, ac Procuratori Generalibus Ordinis praefati pro tempore pariter existentibus, ut cum consensu ejusdem S. R. E. Cardinalis dicti Ordinis apud Apostolicam Sedem Protectoris, & non aliter eam dumtaxat pecuniae quantitatem, quae necessaria ab eis conjunctim dijudicabitur ex cumulo seu multiplico, ac fundo praedicti defumere, seu pro illa rata tot ex dictis locis Montium vendere, & alienare, eamque in expensis praedictis, & non in alios usus erogari libere, & licite possint, & valeant, opportunam facultatem, & licentiam eadem auctoritate harum serie impertimur. Quo si aliqua fraus, vel dolus pro parte Prioris seu Procuratoris Generalium praedictorum in praemissis quomodolibet admitti, seu pecuniae praefatae alio conversu fuerint, ultra poenas per Canonicas Sanctiones adversus res Sacras, & Ecclesiasticas alienantes, & diripientes inflictas per eos propterea incurrendas, officiis suis, ac voce activa, & passiva perpetuo quoque privati sint, ac esse censentur eo ipso.

Clausula cum derogatione.

§.5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sique in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Casuum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis praefati, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXI. Augusti MDCCLXXVI. Pontificatus Nostri An. III.

CLVII.

Confirmantur declarationes, & sanctiones quaedam editae in Capitulo Generali Congregationis Cassinen., & Monasteria ejusdem depositi Capitularis solutione absolvuntur.

Dat. 21. Dec. 1726. An. 3.

Alia hujus Const. ed. 1725. Aug. 4. P. 2. confirmata fuerunt quadam litera Apostolicae in favorem Ecclesiae, & Abbatis Ord. S. Benedicti.

CLVIII.

Dat. 27. Dec. 1726. An. 3.

Promulgatur Canonizatio B. Francisci Solani Ordinis Min. de Observ., Sanctis adscripti.

Vid. Const. ed. 2726. Dec. 10. P. 3., & sequentem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cura manifestandi in terris Servorum Dei gloriam.

AD Fidelium Dei Servorum gloriam in terris manifestandam, unde cultus Divinus maxime augeri, & fruges corda hominum ad vere pietatis opera, praeclaris eorum exemplis inflammari, atque erigi possint, libenti, & pervigili animo intendimus; quoniam Christum Dominum in Sanctis eius laudare jubemur. Hinc Beatum Dei Servum Franciscum Solanum ex Ordine Fratrum Minorum, qui a regulari Observantia nuncupantur, Christianarum virtutum praesentia, & miraculorum numero illustrem nacti, magnam Populis, nostrae solitudinis creditis, praesidium nos allatuos putavimus, si cum solemnibus S.R.E. caeremonia hac die, in honorem Beati Joannis Apostoli, & Evangelistae Deo sacram, Sanctorum Confessorum non Pontificum Canonis adscriberemus.

F. B. Francisci Solani ortus, pia educatio, vitaeque Regulae institutio.

§.1. Montiliae, Hispaniae, Beticae Oppido sub Ecclesia Cordubensi, quam complures Christi Martyres nobilitarunt, Franciscus Solanus voluntate Martyr futurus, Franciscus Solanus spei Sexto Idus Martias anno reparatae salutis 1549. ingenius, piisque Parentibus ortus, qui filium timorem Dei, virtutesque, Christiano homine dignas, sollicite docendam curarunt, quibus ipse animo accensus, in Fratrum Minorum, qui a Regulari Observantia nuncupantur sacram familiam adolefcens cooptatus est: in ea miris, & multis sevirioris disciplinae, Christianaeque humilitatis argumentis eluxit, diu, nocturneque Divinae Pietatis, assiduaeque poenitentiae exercitiis intentus, Beatos etiam illos Patres Benedictum, & Franciscum imitatus, qui se nudos inter pungentissimas spinas projecerunt, ut omnem vinu sensum domarent. His, aliisque praeclaris animi dotibus ex eius admirando tenore vitae identidem prodeuntibus, sacris ipse concionibus, quas ardentissima charitas, ceteraque eximia virtutes, in eo fulgentes, ornabant, animas lucrificans, Sancti elogium passim confectus est, praesertim ubi aegri pueri corpusculum, totum ulceribus tectum, amotis linteis, labens, sanitati restituit.

Ejus pietas erga pestifero morbo tabescentes.

§.2. Sed lue crudeli grassante in Hispania Batica, maximam suam Charitatem Dei famulus morbo pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano, & spiritali solatio destitutus in tanta calamitate opem laturus, pereuntem animabus, corporibusque curandis, nulla mortis formidine territus, summam operam dedit; immo & ipse mortali contagione infectus, & manu Dei sospes redditus, in pristino ministerio usque ad lethalis morbi finem se alacrius exercere porrexit.

Magna ejusdem modestia, & charitas.

§.3 Per ora omnium Solani Sanctitatis fama percrescente, Vir modestissimus, qui Dei,

non suam gloriam querebat, se ei clam subducere cogitavit. Quare martyrii pro Christo subeundi percupidus, hanc sibi gratiam a majoribus dari humillime flagitavit, ut in Africam, verbum Dei praedicaturus, trajiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad remotissimos Indos Evangelica doctrina imbuendos cum aliis verbi Dei praecibus navigaret. Animarum salutem multis, usque gravissimis Maris, Terraeque periculis Vir Dei praefrens, non sine prodigio ad vineam, sibi a Domino paratam laboriose excolendam cum sociis adplicuit, utque oves errantes ex lupi faucibus ereptas Summo Pastori servaret, nullis incommodis, & vigiliis pepercit. Alienas aeternas suas ratus, eique amore, & proximi aeternas, lingua gentium divinitus percepta suavissimos sermones habens, Dei gratia id praestitit, ut Barbari, deposita feritate, ad Solanum infrendi ultro & certatim accederent; unde factum, ut innumeram eorum multitudinem sacro fonte regeneraret, tanti apud omnes habitus, ut ipse ab iis facile obtineret, quae alias poenarum metus, & rigor extorquere non poterant. Quantum ejus praesentia, pique sermonis vis apud Indos posset, tunc maxime patuit, quum multa millia infidelium; Christianis, de more, in Dominicae Passionis Mysteriis recolendis feria V. in Coena Domini sancte occupatis, cruentam caedem jamjam allatura, ipse Dei verbo examavit, diversaque ac sibi ignotae linguae barbaros homines uno idiomate allocutus, non solum pacem suavit, sed ad Christi fidem supra novem millia convertit. Pervulgata Francisci fama, miris gestis identidem aucta, ipse ad latibula confugiens, eam declinare conabatur, nec nisi majorum imperio obtemperans, munera sibi imposta obivit, donec Limam, Orbis Americani Principem Civitatem missus, incolarum animos ad poenitentiam cohortatus, ni agant, alter Jonas extremam cladem interminatur. Nec mora, omnes ad seriam criminum suorum poenitentiam agendam perduxit.

ritas erga proximum salutem.

Ejusdem obitus miraculis clarum, nec non postmodum Beatis adscribitur per Clem. X.

§.4. Interim summis pro Dei gloria amplificanda laboribus confectus, summae vocationis diem sibi imminet agnoscens, Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis muniri voluit, & pridie idus Iulias Anno Christi Domini MDCX. in honorem Beati Ecclesiae Doctoris Bonaventurae, cujus patrocinio se olim addixerat, Deo sacra, manibus in Crucis figuram compositis, piis orationibus recitans, semperque in Domino fixus in Coenobio Limano Sanctissimi Nominis Jesu expiravit. Francisci anima in Caelum recepta, sacrae ejus exuviae antea subnigrae, mox pulchrae & candidae apparuerunt, suavique odore perfusa, undique ad eas venerandas concurrentibus Populis, ejusque vestium particulas sibi pro sacris reliquiis servandas parare contendentibus. Solani postea virtutibus, & miraculis omnium praeconio ubique diffusis, & apud hanc Sanctam Apostolicam Sedem probatis, pia memoriae Antecessor noster Clemens Papa X. nono Kal. Februarii anno salutis 1675. Franciscum Solanum ritu S.R.E. Beatis adscripsit.

Sanctis ejusdem solemniter adnumeratur per eundem hunc Pontificem.

§.5. Postmodum vero per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales novis miraculis, a tempore ejus Beatificationis patris, in praesentia nostra aequae discussis, inque tribus Consistoriis, & plenario conventu eorumdem Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum Nobiscum Romae praesentium rite perpenis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicae Notarios coram Nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, totiusque Ordinis Fratrum Minorum pro Beato Francisco Solano in Sanctorum Confessorum non Pontificum Canonem referendo, precibus Nobis enixe porrectis, post tanta rei perficienda solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia, & eleemosynas Omnipotentis Dei opem ferventissime imploratas, demum univervis, quae ex Antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & S.R.E. disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem Beati Joannis Apostoli, & Evangelistae Deo sacra, una cum iisdem Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac utriusque Cleri, & Populi frequentia in Sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel iterum, & tertio pro Viro Dei Francisco Solano in Sanctorum Confessorum Canonem referendo, per Venerabilem Fratrem nostrum Laurentium S. R. E. Episcopum Cardinalem Tusulanum, Corfinum nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillime invocatas, ad honorem Sanctae, & individuae Trinitatis, Fidei Catholicae exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu Basilicae Vaticanae praesentium, consilio & unanimi consensu, Beatum Franciscum Solanum Hispanum Ordinis Fratrum Minorum, qui a regulari Observantia appellatur, de cuius Sanctitate, Fidei sinceritate, & ceterarum virtutum, & miraculorum excellentia plene constat, & constat una cum Beatis Viris, perinde Confessoribus non Pontificibus, Peregrino Latiofo a Foro Livii Ordinis Fratrum Servorum B.M.V., & Joanne a Cruce Ordinis Fratrum Excalceatorum Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo, Sanctum esse definitivimus, Sanctorum Confessorum non Pontificum Canonis adscribendum decrevimus, & definitivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus, & adscribimus, eundemque per omnes Christianos, tamquam vere Sanctum, honorari mandavimus, & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem aedes sacrae, & Altaria, in quibus incrementum Sacrificium Deo offeratur constitui possint, & quotannis pridie idus Iulias, quo die ad caelestem Patriam evolavit, solemnitas ejus natalitia, ut Sancti Confessoris non Pontificis, celebrari possint.

Indulgentia ejus exuvias visitantibus concessa.

§.6. Insuper eadem auctoritate, omnibus Christianis vere poenitentibus, & confessis, qui eodem solemniter die natalitio in memoriam Beati Francisci Solani quotannis ad sacras ejus exuvias venerandas accesserint, annum, & quadragesimam, iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentis, misericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus.

§.7. Postremo gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem Sanctorum Francisci Solani, Peregrini Latiofi, & Joannis a Cruce solemniter oratione, in ara maxima supra Confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum Missae Sacrificium celebravimus cum ejusdem Confessoris, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christianis tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Enarrantur alia quaecumque gesta in eius Canonizatione.

§.8. Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio Nobis concessio omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, & bonorum omnium auctorem, cui est honor, & gloria in saecula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Francisci Solani, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes, quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Hic licet ubi que fides adhibeatur.

§.9. Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras literas ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostense.


Nemo est in fringere audeat.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, Decreti, adscriptionis, relationis, mandati, Statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo sexto, sexto Kal. Januarii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Subscriptio Pontificis & Cardinalium.



Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

Ego

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cura gerenda Ord. Regularium.

Commissi Nobis divinitus Pastoralis officii ratio exigit, ut paternam Monasticorum Ordinum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutorum, ac multiplicibus meritis fulgentium, curam gerentes, ipsos in salutari eorum vivendi norma, Regularique observantia confovere atque conservare satagamus, ac proinde ea, que pro felici, prosperoque eorum regimine, & gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate perennent, Apostolici munimur presidio roboremus, aliasque ad id sollicitudinis nostre partes libenter interponamus, sicut omnibus mature considerationis trutinam pensatis, salubriter in Domino expedire arbitramur.

Facti expositio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Seraphinus Tansius Abbas, & Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Monachorum Ordinis S. Benedicti, quod cum suborta essent quedam dubia super recta intelligentia Constitutionum ejusdem Congregationis a Sede Apostolica confirmatarum, & ab illius Capitulo Generali novissime celebrato, plures dicte Congregationis Abbates Viri pietate, prudentia, doctrina, ac rerum usu prestantes, qui ea diligenter, & sedulo examina- rent, atque juxta mentem, & spiritum Constitutionum predictarum dirimerent, selecti, & deputati fuissent, ipsi Abbates nonnulla ex prefatis dubiis rite, & ordine emanarunt, ac resolverunt, Constitutionesque predictas intellegendas, ac in posterum servandas fore declararunt in hunc modum, videlicet.

Declarationes predictas De Visitatoribus.

§.2. Primo: Antiquior Visitator, qui successit Præfidentie ob mortem Præfidentis, eligi possit in Definitorem in Capitulo proxime subsequenti. Secundo: Qui in uno Capitulo electus est Visitator, non nisi expleto sexennio a die Electionis, eligi rursus possit in Visitatorem. Tertio: Si Visitatorum quispiam ad Dietam venire non possit, in supplementum advocetur vicinioris Monasterii Prælati, quamvis esset illius tantum Abbas Administrator. Quarto: Constitutio, quæ extat secunda parte Constit. Cassin. cap.3. num.2. decernens unum tantum ex Sicilia Visitatoribus ad Dietam venire posse, intelligenda est solum in eo casu, quo ambo Visitatores pro Provincia Sicula, ex Prælati ejusdem Provinciae assumuntur; & tunc solum Abbas localis Monasterii, in quo Dieta celebratur, vel alius ex viciniori Monasterio supplere debet locum alterius Visitatoris absentis, non vero quando unus tantum ex eadem Provincia assumere- tur, & alter ex Provinciis Italie: quam enunciata Constitutionis declarationem approbavit, & confirmavit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium 3. Septembris 1723.

De Administratores Monasteriorum.

§.3. Quinto: Dum contingit aliquem Prælatum deputatum in Administratorem alicujus Monasterii tandiu illi præesse, ut tempus in Administratione impensum computetur pro regimine predicti Monasterii, dictum tempus computari quoque debeat pro vacatione a priori Monasterio, prout declaravit S. Congregatio Concilii die 3. Martii 1725. Sexto: Nullus in-

Capitulo Generali eligi possit in Visitatorem, qui tunc primo in eodem Capitulo electus est in Abbatem, sed illi eligantur, qui saltem in Dieta precedenti electi fuerint Abbates. Septimo: Per verba illa Declarat. 3. ad 33. Regula: cum effectu, & realiter, nedum intelligantur omnes res mobiles pretio æstimabiles apud defunctum extantes, sed etiam quæ habentur loco pignoris, dummodo res pignorata extet apud ipsum; nam si extat apud alium, censeri debet pro pecunia credita. Sicut etiam pecunia credita censeri debet illa, pro qua defunctus rem stabilem haberet hypothecæ obnoxiam. Singulæ pariter bancariæ quæcumque valgo Cadole, Fedi di Credito, Biglietti di Cartulario, & si quæ alia sint ejusdem nature, habeantur pro pecunia numerata, ac proinde intelligantur esse illius Monasterii, in quo Monachus moritur. Octavo: Verba illa ejusdem Declaratorii tertii: Nisi forte ad levandam conscientiam &c. Id unum tantum significant, quod solum possit, & debeat Monachus decedens ad conscientiam suam levandam declarare, res aliquas pertinere ad hoc, vel illud Monasterium, quando scit, & credit, res illas ad tale Monasterium spectare titulo iustitiæ ex motivo rigorose restitutionis. Nono: Æs alienum, quod Monachus extra Monasterium suæ professionis decedens, contraxerit legitime ad formam Declaratorii 10. ad cap.33. Regula, persolvatur a Monasterio proportionate habita ad bona, & credita, quæ illi respective cesserint.

De electione Visitatorum.

De rebus, quæ in obitu Monachorum cedunt Monasterio.

Quid agendum mortuo Abbate, five Administratore alicujus Monasterii.

§.4. Decimo: Mortuo Abbate, vel Administratore alicujus Monasterii, Prior, vel qui Superior ex præscripto Constitutionum præest, accitis omnibus Decanis, & si isti pauciores sint, quam tres, advocatis ad supplementum ternarium numerum Monachis antiquioribus, conficiat Inventarium omnium, quæ destinata erant in usum ejusdem Abbatis, vel Administratoris defuncti, a predictis subscribendum, & sigillo Monasterii signandum, & nihil amoveatur, vel distrahatur, quod conservari potest, usque dum Abbas Monasterii aliquis a Patre Præfide, & Visitatoribus Administrator destinatus accesserit, vel ipsemet Prior, aut alius in Monasterio Pastore viduati administratione persistat, vel ad eam deputetur. Undecimo: Ad Ordines promovendi examinentur a Patribus Visitatoribus in actu Visitationis pro omnibus Ordinibus, ad quos per subsequens Triennium ascendere possunt, habito prius tractatu inter Superiores; qui etiam pro Sacerdotibus ad Decanatum promovendis habendus est, prout statuitur prima parte Constit. cap.22. numero tertio de Conventuum Ordinatione; eoque tractatu præmissa, nomina promovendorum tum ad Ordines, tum ad Decanatum, non per supplicem libellum a Superioribus subscriptam, sed in simplici scheda absque ulla subscriptione Patribus Visitatoribus exhibeantur; ut ipsi deinde in examine de singulorum meritis exquirant, & juratum testimonium a Superioribus exigant ad formam in eadem Constitutione præscriptam. Qui vero Clerici fuerint ad Ordines a Patribus Visitatoribus approbati, suo quoque tempore novo subjiciantur examini, & circa scientiam, & circa mores coram Prælato, & Patribus Monasterii instituendo, per secreta eorum suffragia approbandi, vel reprobandi.

De promovendis ad Ordines.

De Anniversario celebrando uno die infra octavam commemorationis omnium defunctorum.

Sanctiones prefate.

Qui Abbates excludunt a Capitulo Generali.

De Studentibus.

De Regestis Congregat.

Præces Procuratoris Generalis totius Capituli pro confirmatione predictorum.

Tum pro exemptione a solutione depositi Capitularis.

bandi. Duodecimo: Ad præscriptum Decreti Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. emanati die 5. Julii 1724. pro reductione Missarum, quolibet anno in perpetuum celebretur uno die infra octavam commemorationis omnium Defunctorum Anniversarium in uno Monasterio ex singulis septem Provinciis, pro quibus destinantur Monasteria Montis Cassini, S. Martini de Panormo, S. Vitalis Ravennæ, & S. Mariæ de Florentia, necnon Monasterium S. Justinae de Padua, S. Joannis Evangelistæ Parmæ, & S. Catharinæ de Janua.

§.5. Præterea quedam novæ Sanctiones pro salubri, providaque ipsius Congregationis directione in nupero Capitulo Generali prædicto editæ fuerunt, tenoris, qui sequitur, nimirum. Primo: Excludantur a Capitulo Generali Abbates, qui Taxas, & annuas quindenniorum portiones non persolverint, non solum quando Monasterio debitori præsent, sed etiam a primo Generali Capitulo, quod habebitur, postquam ad alterius Monasterii regimen translati fuerint; cui tamen interesse poterit Abbas in Dieta precedenti destinatus ad regimen prædicti Monasterii debitoris, dummodo solutionibus eo anno debitis ex integro satisfecerit, non tamen qui per longius tempus illi præfuerit, & saltem partem aliquam debiti a suo prædecessore contracti non persolverit. Secundo: Patres Visitatores, dum Monasteria visitant, Studentes, quos in eis repererint, diligenter examinent, ut definitorio voce, vel scripto testimonium proferre possint de idoneitate, vel sufficientia eorum, qui ad Collegium Romanum, S. Anselmi admitti proponuntur. Tertio: Dum nova confici Congregationis nostre publica regesta opus fuerit, vetera Romam transmittantur asservanda cum aliis in Archivio Procuratorie Generalis.

§.6. Cum autem, sicut eadem expositio sub- jungebat, ipsi Seraphino a memorato Capitulo Generali in junctum fuerit, ut declarationum, & ejusmodi Constitutionum, novarumque Sanctionum, sicut præmittitur, editarum, quo firmius subsistant, & serventur exactius approbationem, & confirmationem a Nobis impetrate procuraret, simulque nomine ipsius Capituli Generalis enixe peteret, quatenus Monasteria ipsius Congregationis a solutione depositi Capitularis, ut vocant, cui propter reductionem illius Capitulum Generalium, ac Dietarum intermediarum de biennio ad triennium alias factam, juxta quasdam fel. recordat. Innocentii PP. XI. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis die 26. Martij 1681. desuper expeditas literas obnoxia reperiuntur, eximeremus, cum modo alia suppetant congrua remedia sublevandi dictam Congregationem ab ære alieno, quo premitur, quin Monasteriis prædictis, decimis extraordinariis jam gravatis, alia onera imponere opus sit; Quare Seraphinus præfatus Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.7. Nos igitur prædicti Capituli Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ipsumque Seraphinum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis

sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa lais, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui relationem dilecti filii nostri Bernardi Mariæ ejusdem Sanctæ Romanæ Eccl. Cardinalis de Comitibus nuncupati dicte Congregationis apud Nos, & hanc Sanctam Sedem Protectoris sibi desuper factam, attenderunt, consilio, omnes, & singulas supradictarum Constitutionum declarationes, ac novas respective in præfato Capitulo Generali editas Sanctiones præinsertas, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apostolica, tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea Monasteriis prædictæ Congregationis Cassinensium, petitam a solutione enarrati depositi Capitularis exemptionem eadem auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus.

Confirmatio relatarum declarationum, & Sanctionum.

Concessio prefate exemptionis.

Claufulæ cum derogatoriis.

§.8. Decernentes ipsas presentes literas, ac declarationes, & Sanctiones præinsertas, necnon exemptionem ejusmodi semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter congerit attentari.

§.9. Non obstantibus, quoad ea, quæ presentibus adversantur, Innocentii Prædecessoris literis supradictis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicte Congregationis Cassinensium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.10. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transmissis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides habenda transmissis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscat. die XXIII. Nov. MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Pro-

- † Ego Petrus Episcopus Sabinenſis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
- † Ego Laurentius Episcopus Tuſculanus Cardinalis Corſinus.
- † Ego Joſeph Renatus Tituli Sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
- † Ego Philippus Antonius Tituli Sancte Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
- † Ego Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancti Silveſtri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
- † Ego Johannes Antonius Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
- † Ego Antonius Felix Tituli Sancte Balbina Presbyter Cardinalis Zondadarius.
- † Ego Petrus Marcellinus Tituli Sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
- † Ego Curtius Tituli Sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
- † Ego Melchior Tituli S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
- † Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei, & Acbilii Presbyter Cardinalis Spinula.
- † Ego Georgius Tituli Sancte Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
- † Ego Cornelius Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis de Aragonia.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancte Prisca Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
- † Ego Joſeph Tituli Sancte Susanna Presbyter Cardinalis Perea de la Cerda.
- † Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
- † Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thernas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Penitentiarius.
- † Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Matthei in Marulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
- † Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
- † Ego Proſper Tituli Sancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Marifuscu.

† Ego Nicolaus Tituli S. Mariae in Domnica Presbyter Card. Coſcia.

† Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.

† Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.

† Ego Benedictus Sancte Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.

† Ego Laurentius Sancte Agathe ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Columna.

† Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander Sancte Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.

† Ego Alexander Sancte Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

† Ego Nicolaus Sancte Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Card. Prodatarius.

Pro D. Card. Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiffenus.

V I S A

De Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

CLIX.

Promulgatur Canonizatio B. Peregrini Latioſi Ordinis Serv. B. M. Virg., Sanctorum factis adſcripti.

Dat. 27. Dec. 1726. Ann. 3.

Vid. Conſt. praeced., & ſequentem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuum rei memoriam.

Redemptor humani generis Christus Dominus, qui fideles famulos suos caelestis beatitudinis confortes efficere consuevit, eos peculiari praemiorum retributione prosequitur, quos ingentior meritorum excellentia commendat, siquae Sancta Mater Ecclesia sui sponsi vestigiis insistens, licet omnes cum ipso viventes in Caelo sollicitis studiis honoret, illos tamen, qui supra ceteros virtutum, & miraculorum praestantia in terris fulserunt, praecipuis honoribus venerari disponit. Tam piis cautis inducti-

Exordium & consuetudine Ecclesiae praecipuos honores decernendi eis, qui meritis supra alios distant.

Bea.

Beatum Peregrinum a Foro-Livii, quatuor ab hinc saeculis in Ordine Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis asperissima poenitentia, & Christianis moribus clarum, ac signis, etiam quae Omnipotens Deus per ejus merita ostendit, nos hac ipse die, in honorem B. Joannis Apostoli, & Evangelistae Deo sacra, solemnique Ecclesiae Romanae caeremonia in sanctorum Confessorum canonem referre decrevimus, ut in magnis, multisque tanti viri virtutibus, earumdem auctoris summi Dei nomen per omnes gentes celebrari auriatur.

Peregrini ortus, educatio, in res, conversio, & sanctitas.

§. 1. In Foro Livii, praecipua Beati Petri Civitate in Aemilia ex perhonesto Latioſa proſapia ortus est Peregrinus anno Christi Domini 1265, quem, licet Christiane educatum, atque a teneris annis Deiparae Virginis speciali studio additum, tamen corrupti saeculi mores eo abduxerunt, ut civilibus Patriae discordiis, & seditionibus involutus, a legitimo imperio sanctae Apostolicae Sedis una cum reliquis suis contrariis deficeret, eo etiam prolapsus, ut Philippum Benitum, ejusdem familiae Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis, postea ob vitam sanctimoniam Dei Confessoribus adnumeratum, quem recolendae memoriae Antecessor noster Martinus Papa, illuc miserat, ut sacris Concionibus Livienſem Populum ad sanioerem sensum revocaret, contumeliis, & lapidibus caesum, atque extra Civitatem ejectum, alapa in faciem percuteret. Philippo tamen pro hostibus suis Deum exorante, Peregrinus admitti criminis dolore tactus, flevit amare, ac Philippum extra Civitatem prope adiens, veniam suppliciter deprecatus est, in qua viam salutis a pio viro ductus, Regulae Fratrum Servorum nomen daturus, monitu Deiparae Virginis, atque Angelo comite, Senas, quae est Civitas Virginis, statim profectus est, ubi novum plane hominem induens, omni genere poenitentiae se totum Deo dicavit, ut praeteritum facinus unde quaque expiaret. Itaque in alterum plane hominem immutatus, diuturnis jejuniis, & macerationibus corpus domans, meditationibus, vigiliis, ac lacrymis, perque totos triginta annos nunquam sedens, sed parieti vel faxo incumbens quiescere solitus, omnium admirationem in se convertit. Charitati maxime studens, ad peccatorum salutem tanta sollicitudine operam dedit, ut triginta latrones in silvis aliena vitae, & bonis inhiantes, adire non formidaverit, omnesque, Deo favente, ad feriam poenitentiam atraxerit, propterea Aemiliae Apostolus vocatus.

Magna ejusdem fides, & virtus gravi morbo probata.

§. 2. Quanta in Deum fide excelleret, inde fit palam, quod deficientem annonam, in pauperes erogandam, divinitus multiplicaverit. Sed manus Domini excelsam Peregrini virtutem morbo, omnium trucelestissimo, adhuc probare voluit. Crus enim viri Dei mortifero tumore contabuit: quique per triginta annos nunquam federat, in lectulo decumbere coactus est. Mox graveolentis gangrana cruciatus, ac Jobo perfamilis, ab omnibus derelictus, neque ideo moestas, quum de cruce amputando supremum consilium iniretur, praesenti Dei ope convaluit, ut nec vestigium ullum plagae appareret. Quare Peregrini, Deo chari, virtutum fama ubique diffusa, omnium ore Sancti elogio passim vocari coepit.

§. 3. Tandem post exactum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, febris correptus in Oenobio Fratrum Servorum, quod in Patria excitandum curaverat, merito plenus obdormivit in Domino Kalendis Maji anno reparatae salutis MCCCXLV. tanta sanctimoniae laude inclutus, ut finitimis Populis corpusculum ejus veneraturis magna frequentia undique adcurrentibus, portae ipsae Civitatis noctu claudi, & sacra exuviae, suavem odorem emittentes, nisi post multos dies terrae mandari, nequiverint. Nec illud silendum, caeco ad beatissimi viri trereum per densam multitudinem irreperit, visum caelitus restitutum.

Meritis inclutus pie obit, & miraculis illustratur.

§. 4. Quapropter ad viri Dei tumulum Christianidelibus ob receptas vel recipiendas, ejus intercellione a summo honorum omnium largitore gratias, assidue confluentibus, sub felicis recordationis Praedecessore nostro Paulo PP. V. de Peregrini sanctitate, miraculis & veteri cultu actum est, rem totam exponente Dei servo Roberto S. R. E. tituli Beatae Mariae in Via Presbytero Cardinali, Bellarmino nuncupato; inque Peregrini honorem, de ejus officio in Ecclesiis & coenobiis totius familiae Servorum recitando, deque ejus nomine in tabulis Martyrologii Romani referendo, rite sancitum est. Postmodum sedente alio Antecessore Nostro felicitis memoriae Urbano Papa VIII. eadem Peregrini exuviae corruptionis expertes ex veteri in novum atque aptius sacellum permagna totius Civitatis veneratione translatae sunt, ejus officio sub ritu duplici toti Ordini Servorum recitari permisso.

Miracula per meritum B. Peregrini a Deo patrata, & ejus cultus.

§. 5. Eximiis deinde, & vere Christianis Peregrini virtutibus sub aliis Romanis Pontificibus Nostri, Innocentio XII. & Clemente XI. ad canonicas majorum sanctiones discussi, miracula etiam post concessam viri Dei ab Apostolica Sede venerationem & cultum patrata, in examen per Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales coram nobis de more adducta fuerunt: quibus veteri disciplinae per omnia respondere competentis, inque tribus consistoriis, & plenario conventu eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum nobiscum in Urbe praesentium rite probatis, unanimi eorundem sententia, per Sedis Apostolicae Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, Civitatis Livienſis, atque Ordinis Servorum enixis precibus pro Peregrino in Sanctorum Confessorum non Pontificum Canonem referendo Apostolicae Sedis porrectis, tanta rei perficienda solemnem diem indicimus, perque orationes, jejunia, & elemosynas Omnipotentis Dei operam ferventissime imploravimus, & implorari mandavimus; ac tandem universis, quae ex Antecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum decretis agenda erant, omni religione peractis, nos hoc die festo Beati Joannis Apostoli, & Evangelistae una cum isdem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis ac utriusque Cleri, & Populi frequentia in sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum, & tertio pro Beato Peregrino a Foro-Livii ex Ordine Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis in Sanctorum Confessorum non Pontificum Canonem referendo precibus repetitis per Venerabiles

Inter Sanctorum ritu solemniter recitatur.

nerabilem fratrem nostrum Laurentium Sanctae Romanae Ecclesiae Episcopum Cardinalem Tusculanum Corsinum nuncupatum, post decantatas Sacras orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem Sanctissimae, & individuae Trinitatis, Fidei Catholicae exaltationem, & Christianae Religionis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum nobiscum in plenario conventu Basilicae Vaticanae praesentium, consilio, & unanimi consensu, Beatum Peregrinum a Foro-Livii ex Ordine Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis, de cuius sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum, ac miraculorum excellentia plene constabat, & constat, una cum Beatis Viris, perinde Confessoribus non Pontificibus, Joanne a Cruce Ordinis Fratrum Escalceatorum Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo, & Francisco Solano Ordinis Fratrum Minorum, qui a Regulari Observantia nuncupantur, Sanctum esse definivimus, Sanctorum Confessorum non Pontificum canonice adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, eundemque per universos Christianos, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus, & mandamus: statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem aedes Sacrae, & Altaria, in quibus incrementum sacrificium Deo offeratur, aedificari, & consecrari; & quotannis pridie Kalendas Majas ejus festa solemniter, ut S. Confessoris non Pontificis, celebrari possint.

Indulgentiae ejus exuvias visitantibus concessit.

Exponitur quidquid a-lud actum in ejus Canonizatione.

His literis ubique fides adhibeatur.

§. 6. Insuper eadem auctoritate omnibus Christianis vere poenitentibus, & confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Peregrini ad ejus exuvias visitandas acceperint, annum, & quadragenam: iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentibus misericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus.

§. 7. Postremo gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem Sanctorum Christi Confessorum Peregrini a Foro-Livii, Joannis a Cruce, & Francisci Solani solemniori oratione, in ara supra Confessionem Principis Apostolorum Sacrosanctum Missae Sacrificium celebravimus cum ejusdem Peregrini, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christianis, tunc praesentibus, plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

§. 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari in signique beneficio exultis nobis concessio, omnes benedicamus, & glorificemus in trinis Personis unum Deum, omnium honorum auctorem, cui est honor, & gloria in saecula, assidue precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Peregrini, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immitatque timorem sui super gentes, quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus nisi Deus noster.

§. 9. Ceterum quia difficile foret, praesentes

nostras literas ad singula loca, ad quae opus esset, adiri, Volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae, vel ostensa.


Nemo eas infringere audeat.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, Decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Sexto Kal. Ianuarias Pontificatus Nostri Anno Tertio.

✱ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Subscriptiones Pontificis, & Cardinalium.



- † Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Card. Barberinus.
† Ego Petrus Episcopus Sabiniensis Cardinalis Othobonus S.R.E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
† Ego Philippus Antonius Tituli Sanctae Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
† Ego Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Sancti Clementis Albanus S.R.E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tituli Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Johannes Antonius Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.

† Ego

- † Ego Antonius Felix Tituli Sanctae Balbinae Presbyter Cardinalis Zondadarius.
† Ego Petrus Marcellinus Tituli Sancti Iohannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
† Ego Cuvius Tituli Sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tituli S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
† Ego Nicolaus Tituli Sanctarum Nerei, & Achilii Presbyter Cardinalis Spinola.
† Ego Georgius Tituli Sanctae Agnetis Presbyter Cardinalis Spinola.
† Ego Cornelius tit. S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Card. Bentivolus de Aragonia.
† Ego Ludovicus Tituli Sanctae Priscae Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tituli Sanctae Susannae Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
† Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Penitentiarius.
† Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Mariscus.
† Ego Nicolaus Tit. S. Mariae in Domnica Presbyter Card. Coscia.
† Ego Nicolaus Maria S.R.E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.
† Ego Benedictus Sanctae Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius Sanctae Agathe ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columba.
† Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberanus.
† Ego Alexander Sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander Sanctae Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

† Ego Nicolaus Sanctae Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Card. Prodaturus.

Pro D. Card. Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinectus.

Registrata in Secretaria Brevium.

CLX.

Promulgatur Canonizatio B. Aloysii Gonzaga Societatis Iesu, Sanctorum Confessorum Canonice adnumerati.

Dat. 27. Dec. 1726. An. 3.

Vid. Const. praeced., & sequentem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Christiana virtutes, & summa vitae innocentia strenuos Dei milites post triumphum de hoc mundo, perquam dignos efficiunt, qui inter caelestis Hierusalem meritos cives connumerentur; atque hinc nobis universalis Ecclesiae regimini praepositis maxime convenit Apostolica voce eorumdem sanctitatem manifestare, ut omnes tanto patrocinio in calis muniti, optimisque pie illorum conversationis exemplis instructi, per viam salutis incedere valeant, unde & ipsi tandem hujus vitae cursu feliciter consummato, eorum consortio adungi mereantur, quorum se regulis conformare studuerunt. Itaque nos hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis Deo facta, cum ingenti exultatione, & celebritate in Basilicam Principis Apostolorum convenientes, Angelicum juvenem, inque regulari Militia probatissimum Clericum, Aloysium Gonzagam, sanctorum canonice adscriptimus, ut Christianos in ejus meritis solemniter praerogio ad Dei gloriam recolendis propitium in caelo deprecatores obtineant.

Procurium a consuetudine Summi Pontificis Servorum Dei sanctitatem totius Ecclesiae manifestandi.

§. 1. Castellione, Galliae Cisalpinae ad fines Mantuani ducatus nobili opido, quod discriminis causa Siverorum appellatur, Marchionatus olim dein principatus titulo, insigni, ex primaria Gonzaga familia 7. Idus Martias anno Christi Domini 1568. natus est Aloysius, antea baptizatus, quam totus in lucem editus. Ab ipsis infantiae, & eo magis pueritiae primordiis magna in illo, & multa futurae sanctitatis argumenta apparuerunt, quae Beatus Carolus Borromaeus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis;

Beati Aloysii Gonzaga ortus, pia educatio, virtutes, quae admiranda.